



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica vigesima quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

difficillima. Aut non peccare! aut citò
pœnitere! dilata pœnitentia rarò vera.

Instructio meritoria.

Infirmamur? fili! citò ad Medicum.
Cadimus? sine mora ad sublevantem
nos! porriget labentibus potentem dex-
teram, si frequentem adhibeamus con-
fessionem. Huic assuescamus, & ab ea
absterrentem diabolum non audiamus.
Ubi, & quando contigit malum, ait S.
Aug. ibi iterum moriatur malum. Pœ-
nitentes ut verè nos probemus, *Litanias*
oremus de omnibus Sanctis. Præive-
runt! sequamur.

Dominica XXIV. post Pente-
costen.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! tremenda sunt omnia, quæ
in hodierno leguntur Evangelio.
Dies tremenda! dies illa, dies iræ, cala-
mitatis & miseræ, dies magna, & ama-
ra valdè instat, jam citat, & vocat.
Væ mihi (suspirat S. Martyr Cyprianus)

G 7

cum

158 Dominica XXIV. post Pentecost.

cum veniam ad iudicium? dilecte! quid nos?

Instructio meritoria.

Ne incidamus in manus irati & offensi Judicis, censors, & iudices simus nostrum, & nunquam cubitum & lectum petamus, nisi depositio nocturno anime testamentum, quod inveniendum in devotis, & obviis Libellis precatoriis. Hodie renovemus *formulam Votivam cum Litanis Lauretanis*. Teneamus Mariam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: Potens est enim. S. Bernardus.

II.

ERuditè ex hodierno concludit Evangelio S. Augustinus dicens: *In quo quemque statu invenerit suis novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Ut boni inveniamur, semper mortem habeamus ante oculos. Cui mors non familiaris, sibi inimicus est.

In.

Instructio meritoria.

Sed quomodo familiares erimus? visitemus frequenter cæmeteria, & pro omnibus defunctis devotè oremus Psalmos *Miserere & De Profundis*. Sista-
mus nos quoque ad noctem coram Crucifixo quasi morituros quotidie. Repetamus sæpiùs morientis Jesu ultima verba. Non moritur, qui vivit sibi semper mortuus.

III.

Tunc plangent. O tunc! ô plangent
amarum! Fili! ut non habeamus,
quod tunc plangamus, præterita peccata deploremus cum lacrymis; futura verò caveamus intendendo operibus bonis. Doluisse de præteritis, & timuisse de futuris summa est prudentiæ humanæ. Non dimittamus.

Instructio meritoria.

Peccavimus multum! solvamus plurimum! quæ enim proportio inter finitum, & infinitum? instrumenta faceri rigoris si habeamus, corpori applicemus.

160 Dominica XXIV. post Pentecost.

cemus. Non recalcitrabit amplius; si
non: petamus, emamus! optima co-
mes ad patriam odium sui, & jugis
poenitentia. Tres actus austeritatis
exerceamus. Vivamus! sed in spi-
ritu. Caro occidit! spiritus
vivificat!



EX.